



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Ivstitia Et, Ivs. Sex Libris totidem Tractatus appono, nempe de rerum
Dominio, de Restitutione, de Contractibus Gratuitis, de Contractibus
Onerosis, de Contractibus Fortunæ, de Contractibus Adminicularis, de
Quasi-Contractibus, & nonnullis Innominatis

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

11. De Compositione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80681](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80681)

CAPVT XI.

De Compositione.

78
Quid com-
positio?

COMPOSITIO latius patet, quam transactio, est enim *Patet de re aliqua, vel circa quam nulla controversia sit, vel circa quam sit, aut esse possit.* Ita cum pontifex per Bullam cruciatæ, vel per se ipsum, aut summum Pœnitentiarium debitori summæ personis incertis, condonat maiorem partem, & minorem applicat in belli contra infideles subsidium, vel in aliud opus, compositionem dicitur facere, & gratis remittere debitum, de quo nulla est controversia, quod ei debeat satisfieri, & id, quod soluitur in auxilium belli, etiam erat restitutioni obnoxium. Quando verò cum compensatione aliqua controversia dirimitur, & vnus al-

teri concedit rem, vel ius, de quo controve-
neretur, tunc etiam compositio quæ-
dam est, & proprie transactio. Ideoque
dixit, compositionem latius patere. Mo-
lina *tractatu secundo disputat. 556. nu-
mero sexto Filiucius tractatu 39. num. 130.*

Compositio diuiditur in eam, quæ est
de re, circa quam nullum est dubium, 79
& in eam, quæ est de re, circa quam
aliquod dubium est. Deinde hæc subdivi-
ditur in eam, qua vnus contententium
tribuit aliquid in pretium, vt alter recedat
à lite, & condonet ius, quod præten-
dere poterat, quæ proprie transactio est,
& in eam, qua amicabiliter lis, & con-
trouersia componitur prudentis arbitrio,
sive diuidendo rem, aut emolumentum,
quod ex ea speratur inter contententes: si-
ue compensando aliunde pro quantitate, ac
qualitate iuris dubij, vt lites finiantur.
Et hæc interuenire potest etiam in re-
bus spiritualibus, ac beneficialibus, non
autem illa prior, qua aliquid in pretium,
vel quasi pretium detur, Molina *tractatu
secund. d. 556. numero sexto Filiucius tractatu
39. num. 131.*



SECTIO